GREGORIUS MAGNUS

Zwettl, 4. Viertel 12. Jh.

Quelle: http://manuscripta.at/?ID=31633
Copyright: Zwettl, Zisterzienserstift

bestiali passionum motu demonstrat. Quibus per prophetam dominus dicit: Vos autem greges pascue mee homines estis, quia illos nimirum dominus pascit, quos voluptas carnis iumentorum more non afficit. At contra hi qui carnali affectione succumbunt, non iam homines sed iumenta nominantur, sicut de quibusdam in peccato suo morientibus per prophetam dicitur: Computruerunt iumenta in stercore suo. Iumenta quippe in stercore suo computrescere est, carnales homines in fetore luxurie vitam finire. Non enim esse homines sed iumenta declarantur, de quibus per prophetam dicitur: Unusquisque ad uxorem proximi sui hinniebat. Et de quibus propheta alius dicit: Carnes asinorum carnes eorum, et fluxus equorum fluxus eorum. Unde et per David dicitur: Homo cum in honore esset non intellexit, comparatus est iumentis insipientibus et similis factus est illis. Cum ergo vocentur homines qui iustitie ratione suffulti sunt, et irrationabilia iumenta nominantur hi qui carnali delectationi deserviunt, recte de hoc homine penitente dicitur: Respiciet homines, et dicet: peccavi. Ac si dicatur: Sanctorum virorum exempla conspiciet, atque eorum comparatione se pensans, iniquum se esse deprehendet. Qui ergo plenissime intelligere appetit qualis est, tales nimirum debet conspicere qualis non est, ut ex bonorum forma metiatur quanto ipse deserto bono deformis est. Ex his quippe quibus plenissime bona assunt perpendit recte que sibi minus sunt, atque in illorum pulchritudine conspicit feditatem suam, quam in se ipso et potest perpeti et non potest sentire. Lucem namque debet conspicere qui vult de tenebris iudicare, ut in illa videat quid de tenebris estimet, per quas videre prohibetur. Peccator namque incognita vita iustorum semetipsum conspicit, et peccatorem se nullatenus comprehendit. Videre enim se non potest, quia ful-

gorem lucis nesciens cum semetipsum conspicit, quid aliud quam tenebras attendit? Iustorum ergo debemus vitam conspicere, ut subtiliter deprehendamus nostram. Illorum videlicet species quasi quedam forma nobis imitanda proponitur. Viva lectio est vita iustorum. Unde et non immerito iusti in sacro eloquio libri nominantur. Sicut scriptum est: Libri aperti sunt, et alius liber apertus est qui est vite, et iudicati sunt mortui ex his que scripta erant in libris. Liber namque vite est ipsa visio advenientis iudicis, in quo quasi scriptum est omne mandatum, quia quisquis eum viderit, mox teste conscientia quicquid non fecit intelligit. Libri etiam aperti referuntur, quia iustorum tunc vita conspicitur, in quibus mandata celestia opere impressa cernuntur. Et iudicati sunt mortui ex his que scripta erant in libris, quia in ostensa vita iustorum quasi in expansione librorum legunt bonum quod ipsi agere noluerunt, atque ex eorum qui fecerunt comparatione dampnantur. Ne ergo unusquisque tunc videns eos quod non fecit defleat, nunc in eis quod imitetur attendat. Quod quidem facere electi non cessant. Meliorum namque vitam considerant, et deteriores usus per conversationem mutant. Unde sponsi voce sancte ecclesie in canticis canticorum dicitur: Duo ubera tua sicut duo hinnuli capree gemelli, qui pascuntur in liliis, donec aspiret dies et inclinentur umbre. Que enim sunt duo ubera nisi ex iudea et gentilitate venientes utrique populi, qui in sancte ecclesie corpore per intentionem sapientie archano sunt cordis infixi? Ex quo populo hi qui electi sunt idcirco capree hinnulis comparantur, quia per humilitatem quidem parvos se ac peccatores intelligunt, sed eis per caritatem currentibus si qua obstacula de impedimento tempora-

litatis